

SACRA ROTA NUNTIATURAE APOSTOLICAE

Dilationes judiciales. Acta civilia processus cautelaris.
Detectoris privati votum.
(Coram DEL AMO)

DECRETUM.

Matriti die 26 Januarii 1968.

Infrascripti Auditores de turno, audito Illmo. Promotore justitiae qui suam aperuit mentem scriptis dierum 16 et 23 januarii 1968, haec animadvertenda et statuenda tenuerunt:

I.—SPECIES FACTI

1. *Servato ordine processuali sunt in actis:*

a) Sessio pro litis contestatione habita die 4 decembris 1967, in qua, viro sese remisso justitiae Tribunalis, parti appellanti concedebatur spatium viginti dierum ad probationes proponendas.

b) Decretum diei 10 januarii 1968, per quod Instructor quum certo ex actis constaret de termino inutiliter elapso pro probationibus proponendis, decernebat audiendum esse promotorem justitiae circa conclusionem in causa declarandam.

c) Diligentia notificationis quae peragitur die 11 januarii 1968, et continuo votum Illmi. Promotoris justitiae subsignatum die 16 januarii 1968.

2. *Ordine autem praetermisso habemus in actis:*

a) Scriptum diei 13 januarii 1968, quo mulier appellans petit revocationem laudati Decreti diei 10 januarii 1968.

b) Scriptum ipsius partis appellantis datum die 22 decembris 1967, ad exhibenda documenta quae uti probationes proponit.

c) Nota exarata die 18 januarii 1968, qua Notarius Tribunalis fidem facit de scripto a mulieris procuratore exhibito intra terminum, sed non admissum vel receptum ab eo ob defectum formae: "Quia Normas tribunalis non servabat".

d) Continuo nova actuarii diligentia ex qua constat, lato Decreto diei 10 januarii 1968, exhibitum fuisse post audientiam scriptum appellantis datum die 22 decembris 1967.

3. *Diversae igitur sunt quaestiones cognoscendae*: 1.^a An probationes propositae fuerint intra iudiciale terminum. 2.^a An Decretum diei 10 januarii 1968, jure latum revocari debeat. 3.^a An liceat ante conclusionem in causa matrimoniali probationes proponere. 4.^a An probationes propositae debeant admitti, in casu.

II.—IN JURE

4. *Termini judiciales*, ante eorum lapsum, potuerunt, justa intercedente causa, a iudice prorogari. Terminum autem elapso, parti contrariae est jus quaesitum a iudice non praetermittendum (c. 1.634).

5. *Decreta quidem corrigi aut revocari possunt*, at servatis conditionibus ad normam can. 1.841.

6. *Probationes proponi possunt* in appellatione, in periodo probatoria, imo post conclusionem in causa, ad normam tamen sacrorum canonum (c. 1.786; 1.861; 1.891). Probatio igitur est producenda intra terminum probatorium a iudice constitutum. Periodus probatoria aperitur post litis contestationem (c. 1.731) et perdurat usque ad conclusionem in causa (c. 1.860).

7. *Probationes sunt admittendae*. Documenta (c. 1.810) semper exhiberi possunt. At iudex, audita altera parte, si praesens in iudicio fuerit, et audito promotore iustitiae in causis boni publici, ea admittit vel rejicit, attendens eorum efficaciam et pertinentiam. Probationes enim irrevelantes nullius sunt valoris, et ideo a iudice sunt rejiciendae. Qua in quaestione agenda tum partes proponentes tum tribunal prae oculis habere debent dubium solvendum seu cardo controversiae; nam frustra probatur quod probatum non relevat.

8. *De damificatione injusta*. Iudices perinde ac tribunalium officiales et ministri, qui ob negligentiam culpabilem damnum litigantibus inferunt, id reparare tenentur (c. 1.625). Pari ratione advocati et procuratores qui suo in officio implendo ob negligentiam culpabilem clientibus damnum inferunt, id debent reficere.

III.—IN FACTO

9. Ad primam quaestionem propositam, licet admittamus partem proposuisse probationes intra terminum iudiciale, id tamen fecit adeo contra formam, ut Notarius tribunalis, tradens eidem notam circa normas exhibendi scripta nostro Tribunali, non potuerit non reddere informe scriptum, rogans exhibenti ut ordo processualis servaretur a mulieris patrono, qui tenetur callere normas processus ecclesiastici in tribunal quo munus fungitur.

Ceterum a die 22 decembris usque ad diem 8 januarii 1968, finem temporis utilis, patroni temporis spatium habuerunt vel ad corrigendum scriptum infor-

me et forma legitima exhibendum, vel ad petendam termini prorogationem, si eis justa erat causa.

Nihil ex his fecerunt. Ergo sibi ipsis imputent suam in munere implendo negligentiam, non iudici qui rite procedebat, visis actis.

10. *Alteram ad quaestionem propositam* de revocatione decreti diei 10 januarii 1968, considerandum est ordinationem nullo irretiri juris aut facti errore; quam ob rem non debet correctione aut revocatione affici.

Adde quod aliud est audire promotorem iustitiae ante conclusionem in causa, et aliud valde diversum conclusionem decernere.

Si ergo periodus probatoria perdurat usque ad conclusionem, laudatum decretum nihil obstat quominus, vi ipsius decreti servata aut firma, probationes proponantur et a iudice, munus fungente, cae admittantur vel rejiciantur, ad normam juris.

11. *Tertiae quaestioni solutio danda* pendet ex rationibus juris et facti superius consideratis. Iudex in processu certissime nondum conclusionem in causa decrevit. Ergo sumus in periodo probatoria, quamvis post elapsum terminum parti praefixum ad probationes proponendas, salva facultate eas proponendi ad normam juris post terminum in causis matrimonialibus.

Ratio scripti informis exhibitum tempore utili, licet fucosa sit, potest attendi tamen, ne causa matrimonialis careat omni possibili revelatione vel ad naturalem partium defensionem, vel ad causam rite illustrandam.

Recipimus ergo probationem productam, parati ad examen diligens atque ad decernendum de admissione vel rejectione.

12. *Ultimam quaestionem examinantes*, Auditores censent Illmo. Promotori adsentientes:

a) *Documentum exhibitum sub num. 1.º* non esse novum nunc in appellatione repertum et una simul esse supervaneum. Agitur enim de "un certificado del Juzgado Municipal núm. 2 de Gijón, referente a un atestado que hace constar una denuncia de V. A. el 5 de junio de 1964, y de la respuesta de F. M. I. que niega los hechos de la denuncia". Quid ergo? Res neque nova est, neque ignota in actis. Est insuper prorsus inefficax, nam affirmationes et negationes partium probationem non faciunt.

b) *Alterum documentum sub num. 2.º* super processu de remediis cautelariis non spectat ad rem probandam, neque est documentum nunc primo repertum. Agitur certo de actis processus super cautionibus pro tempore a iudice civili statuendis et regendis. Non ergo ex eo quod quedam Seraphina petierit ab actrice ut actioni renuntiaret, argumentum affertur ad probanda facta jam allegata in litis libello.

Visis et Lege Concordataria Hispaniae, art. 24, et art 68 Codicis civilis una cum arts. 1.896-1.899 Legis Processus civilis, nemo est qui non perspiciat processum circa cautiones pro tempore non posse praebere probationes aptas fini tentato in iudicio ecclesiastico super merito causae matrimonialis.

Litis libellus introductorius qui exhibetur apud Tribunalia ecclesiastica et a Judice admittitur est conditio ad cognoscendum super cautelis; at processus cautionalis minime est via vel medium ad probationes constituendas inservientes Judici ecclesiastico ad causam super merito decidendam.

Processus cautionalis non spectat ad meritum causae vel ad causam principalem; ideoque quum exhibentur acta hujus processus Judici ecclesiastico, saepe saepius non obtinetur nisi expensarum incrementum et iudicii retardatio.

c) *Tertium documentum perinde ac quintum, sextum et septimum* etiam spectant ad cautiones pro tempore, de quibus Judex civilis cognoscit. Confundi ergo non debent cum merito causae separationis ob causas legitimas, petitiones litigantis circa cautiones, vel argumenta aut probationes peractae hunc ad finem cautelarem adipiscendum.

Uti supra aestimavimus, aliud est processus cautelarum pro fine speciali post litem libellum introductorium, et aliud ipsa causa principalis: ejus petitum, ejus causa petendi, ejus probatio, ejus decisio apud Judicem ecclesiasticum.

Adde quod objectum horum documentorum, veluti attestations scriptae ad instantiam partis extra iudicium exaratae, vel ipsae declarationes genericae respondendo nimia brevitate interrogationibus suggestivis nullo valore probatorio gaudent ad causam matrimonialem in iudicio ecclesiastico dirimendam.

Cetera quae consideravimus examinantes documentum secundum pari ratione valent ad aestimanda quae sunt exhibita sub numeris 3.º, 5.º, 6.º et 7.º. Est Judex civilis, non ecclesiasticus, qui iudicare debet de cautionibus, de probationibus ad cautiones regendas, de alimentis, de impotentia morali observandi mandata a Judice civili imposita. Et planum est.

d) *Quartum documentum* non est nisi votum exaratum ad instantiam partis ab eis qui vulgo dicuntur "Detectives privados". Juxta eos "su informe se extiende a efectos estrictamente confidentiales y privados", "sin garantía ni responsabilidad, estando dispuestos a rectificar".

Non ergo hujusmodi instrumentum constituere potest probationem iudicalem. Insuper in casu laudati inquisitores facta et circumstantias non referunt; indicant quidem personas rem scientes, non tamen significant facta ab unoquoque scita, articulos aliasve condiciones in testibus producendis requisitas.

Agitur ergo de voto penitus inefficaci nostro in iudicio ad probationem efficiendam.

IV.—PARS DISPOSITIVA

13. Quibus in jure et in facto perpensis Patres de turno decreverunt:

1.º Probationes non fuisse *legitime* productas nisi post iudicalem terminum elapsum.

2.º Decretum Instructoris latum die 10 januarii non esse corrigendum aut revocandum, sed confirmandum.

3.º Probationes examinatas hoc in decreto fuisse propositas intra periodum probatoriam, scilicet ante conclusionem in causa.

4.º Quas productas probationes a muliere, utpote futiles, impertinentes aut irrelevantes non esse admitendas.

Expensas hujus incidentis mulier appellans sustineat, quamvis eidem refici debeant quae ob negligentiam culpabilem patroni suo in munere implendo causatae fuerunt.

Et notificetur.